



H. XIII. 10.

Liden
Novo Jacin.

937. III

.M .III





Henrici Nicolai

1. de Multiplicitate Rei facta.
2. Tr. de Contradictionis Natura et Principio.
3. Tr. de Oppositione Enunciatorum.
4. Paraphrasis Liberalis Tabellae representata.
5. Disputatio Magica.
6. Tr. de Notis naturalibus.
7. Tr. de Cognitione humana univessa, duabus Exercitationibus comprehensa.

DE MULTIPRÆSENTIA REI
FINITÆ,

TRACTATUS SINGULARIS.

EXERCITATIO I.

De Statu Controversiæ, & argumentis
nonnullis pro Multipræsentia.

Respondente,

MELCHIORE DREILINGIO,

Rigâ-Livono.

T H E S I S I.

Vunda undam in flumine trudit: Sic disceptatio
disceptationē in literarijs consilijs excipit, & interdum
promittit. Occasione eorum, quæ de Christo Servatore
Nostro, & generis nostri Sequestro, in sacris proposita habemus,
& in Scholis inter literatos disceptare solemus, quæri inter alia
ceptum est, Possitne Corpus, substantia finita, aut universim
ulla finita res salva suâ veritate, unitate, & finitate, in duobus
pluribusve spatijs divinitus sisti: An hoc potius Contradictio-
rium sit, proindeq; à veritate alienissimum, nequè pote-
stati divinæ subijciendum? *Disceptata res est* & antiquioribus
Scholasticis, Thomæ, Scoti, Occami, Bielii, Alensi, Bona-
venturæ, Lombardi, alijsq; & Neotericis Philosophis ac
Theologis, cum Pontificijs, cum Reformatis, & Nostratibus,
ut §. 32. 74. patebit. *Ac ut in re difficili & obscurâ solet, non
sine sententiarum divergio disceptata est.* Reformati commu-
niter ad negantem inclinârunt, ut ex multorum testimonijs alle-
gatis Tractatu de Esse alicubi s. 4. §. 67. ostendi. Paucissimi
contra erunt, ut §. 30. patebit. Sohnius contra multi & omni
præsentiam Corporis Christi prolixam disputationem conscripsit,

De Multipræsentiâ finiti

To. 1^o Op. part. 2. disp. 10. Sadeel *integrum* librum de veritate humanæ Naturæ Christi, Crellius *duos libros de Eucharistiâ*, Et Vindicias *eorum contra Valentiam adversus eandem direxit*. Chamier *in oppugnandâ eâ multus est*, T. 2. Panstrat. l. 6. c. 9. 10. 11. Vedelius in Rationali Theologico passim Contradictionis eam arguit. Et Wendelinus lib. 1. Theol. c. 16. §. 3. Considerator commonefactionis par. 2. arg. 7. nec secundum naturæ, nec sapientiæ & potentia DEI ordinem, nec secundum Physicas nec Hyperphysicas leges, nec secundum hujus vel futuri seculi statum esse, aut esse posse, verum corpus, unum & idem, eodem tempore in diversis locis ait. p. 628. Reformatis *in negando se junxerunt* Photiniani, ut cit. loc. *adductum*. Vorstius *item*, Vorstianî, & Arminiani *inter negantes sunt*, ut ex Vorstio not. ad disp. 3. de DEO, p. 244. seq. Et Remonstrantium Apologiâ pro Confessione suâ, præfat. lit. i 3. 4. alijsq; *patet*. Et ante omnes hos Wiclefus & Wiclefitæ *illud negârunt*, ut ex Thomâ Waldensi Bellarminus lib. 3. de Eucharistiâ c. 1. *notat*. Veteres hæretici, qui *præsentiâ realem Corporis Christi in Cæna negârunt*, ut, Iconomachi, Scotus quidam, non ille Scholasticus, Bertramus, Berengarius, Henricus, Petrus Bruis, Albigenfes, Flagellantes, & *similes*, quos adducit Bellarm. l. 1. de Eucharist. c. 1. *etiam fortasse multipræsentiâ corporis DEO possibilem negaverunt*. Pontificij & Nostrates *affirmantem arripuerunt*, ut §. 32. hujus Tractatus *constabit*.

2. Nos, quid commodissimè hic sentiri dicivè possit, post Vbjetatis naturam peculiari tractatu distinctè traditam, novo tractatu *explicatum dare*, non inutile duximus. Nam & in naturâ τὸ ἔσθαι alicubi inter alia hodiè disquiri solet, an *ultâ potestate corpus aliquod in pluribus spatijs salvâ sui veritate constitui possit*, ut cit. Tract. §. 61. *patuit*: Et ex sese cognata

materie

*materia sunt, de Vbjetate & Multipraesentia, ut una ex alterius
 explicatione multum lucis nancisci queat, cum Multipraesentia
 finiti, (supernaturalis aliqua Vbjetas divinitus finito conciliata
 sit: Et primarium disensionis à nobis fundamentum in Re-
 formatis ex eo est, quòd per multipraesentiam Corporis verita-
 ti rei, DEI, Naturæ, & Essentiæ verissimè contradici existi-
 ment, eoz, nostra sententia de praesentia corporis Christi: in Coenâ
 accedere non possint, sed Multipraesentiam inter absolutè impossi-
 bilia censere, & in hoc puncto à nobis dissentire coacti fuerint:
 Ac ubi Oppositum ejus ostensum fuerit, facilior partium in
 locis de Christo & Eucharistiâ futura fuerit conciliatio: Et à
 Nullo Nostrorum distinctè satis & completè materies hæc tra-
 ctata est, distinctis satis distinguendi, sententiâ propriâ solidè con-
 firmatâ, & oppositis rationibus sufficienter solutis ac prostratis. Cum
 tamen & ipsa materia scitu tractatuz, sit dignissima: & ad Con-
 troversias hodiernas Theologicas de Personâ Christi ac Cœ-
 na solidè intelligendas, explicandas, confirmandas, defendendas,
 ab Contradictionibus vindicandas ac dijudicandas, variâq;
 dubia in illis occurrentia accuratè resolvenda apprimè utilis &
 necessaria sit, cum passim in locis de Christo ac Coenâ hæc occur-
 rant, & plenè materia ista non percipiatur, nisi & hæc doctri-
 na solidè intellecta fuerit: Et solidum Theologum tam rei, quàm
 omnibus Adversarijs satisfacere deceat: Et sufficienter fides no-
 stra, prout hodiè in Academijs communiter docetur, con-
 tra Adversarios hodiernos defendi non possit, quod experientia
 nostri seculi affatim docebit. Cum itaq; de Vbjetate Tractatus
 per suas species & materias ibi tractandas satis exereverit;
 materia de Multipraesentia, peculiarem Tractatum postere si-
 bi visum fuit, cum & multa hic tractanda occurrant, & distinctis
 positionibus distincta materia explicanda veniant. Eum jam
 BONO CUM DEO, post Tractat. de Esse alicubi, suppediare
 constituimus.*

3. Multipræsentiam hic dicimus Entis finiti in binis aut pluribus simul spatijs realem & veram, salvâ Entis essentia & unitate, existentiam. *Cumq̃ Ens finitum vel Substantia sit, vel accidens, utriq̃ quidem Esse alicubi competis: substantia tamen primò & originaliter, accidenti secundò & dependenter, V. Tract. d. Esse al. sect. 1. §. 24. & hunc Tractat. §. 84. Ad eundem modum & multipræsentia primò substantijs, secundò accidentibus in substantiâ assignanda erit, ac de utroq̃ distinctis positionibus constituendum erit.* Ac substantiæ, & quidem corporeæ multipræsentia, utrum DEO possibilis sit, potissimum hic quaesitum est. Priusquam ad argumenta pro eâ procedatur, de Controversiæ statu ritè formando quadam prænotanda veniant. 1. Non quaritur de Naturâ infinitâ, qualis DEI, an ea simul in pluribus spatijs existere possit? Hoc enim ab utraq̃ parte concessum est, nisi quod Vorstius, Phociniani, & Arminiani, aliquid hic diversere videantur, ut præcedente Tractat. sect. 2. c. 9. 14. 15. dictum. 2. Nec de vi Natura quaritur, an per Nature vim corpus aliquod in multis spatijs simul esse possit? Hoc enim ab utraq̃ parte concessum est, fieri non posse, & gentilibus etiam cognitum fuit, ut cit. loc. Sect. 4. t. 65. dictum. 3. Nec de vi Sathanicâ aut angelicâ, an per eam in corpore id præstari possit? Hoc enim fieri non posse etiam utriq̃ conceditur. 4. Nec de spectris aut phantasmatis representatis, an per ea ita aliquid apparere queat, ut in pluribus locis simul esse appareat, etsi reverâ tamen non sit? Hoc fieri posse etiam conceditur. V: cit. loc. §. 66. 5. Nec de duobus locis partialibus & inadequatis, an in illis una res simul esse possit? Hoc enim per Naturam fieri posse etiam conceditur. Sic homo quantum ad caput, brachia, in alio loco partiali simul est, ac qua pedes. V. c. 1. §. 64. 6. Nec de locis æquivocè dictis, an in uno proprio loco, altero æquivoco aliquod simul esse possit? Quomodo quidam in-

Exercitatio Prima,

§

sernum locum corporis faciunt, unde unum corpus in loco interno simul & externo esse potest. V. §. 27. Sed locus internus locus equivocè dictus est, V. Tract. d. Esse alic. f. 4. §. 44. seq: Eoq; ad hoc quæstum adducendus non est. 7. Nec an de facto in aliquo corpore ita sit, ut Christi? Hoc enim ex Natura nunquam cognoscitur: Sed an saltem in aliquo divinitus præstari possit? De possibili est quæstio, non de facto: V. c. l. §. 68. Confusio autem Errorum, non accuratiorum, mater est. Sed 8. De loco externo, verè & non equivocè sic dicto, spatium nempe extrâ circumstante, quod circumscribere solet & velit corpus suum, totali & adequato, est quæstio, an in illis duobus aut pluribus, corpus aliquod simul citra contradictionem divinitus fisci possit? Hoc imprimis est, quod cum Reformatis ex occasione disceptatorum de Christo in quæstionem venit. Et quod ipsi negant, Nos affirmamus. 9. Si non de Corpore tantum, sed generalius de substantiâ creatâ quaratur, ut & Spiritus comprehendatur, quomodo generalius ante hæc à Scholasticis est quæstum, An creatura possit in multis spatijs simul à DEO fisci, & generalius quæri posse in hac materiâ, certum est, & ex positionibus distinctè secutus constabit, spatium etiam generalius sumendum erit, ut non ambiens tantum comprehendat, quod in corporibus, sed quaecumq; rē, Vbi substantia finita & creata, seu corporea seu incorporea illa, hæc n. primò alicubi esse dicitur, §. 84. existere intelligatur, sive reale illud sit, sive imaginarium tantum, ut extra mundum, quomodo in ubietate spatium indifferenter sumendum esse, Tract. d. Esse alicubi f. 1. §. 27. dictum, Et quomodo in hac materiâ à Reformatis Metaphysicè magis, quàm Physicè sumi solet, V. §. 40. Et hic in hac materiâ de Multipresentiâ fermè procedimus, Vt ex sequentibus constabit. Si & de accidente quæstio instituat, ex ijs, qua in particulari de eo constituentur, V. §. 104. facilem decisionem sortietur.

4. *Hus de statu Controversiæ præmissis, ad meliorem Tractationis hujus cognitionem adhuc sequentia observanda erunt. 1. Inprimis hæc disceptari cum Christianis, qui Mystera fidei Christiana, ut Trinitatis, Incarnationis, Creationis, Resurrectionis, sessionis Christi ad dextram DEI, consentitur, & probant, non cum illis, qui vel hæc negant, ut Turca, Persæ, Mahometista, Iudei, Athei, Epicurei: vel ex parte non credunt; ut Photiniani. Cum his ex generalioribus Natura fundamentis procedendum erit, ut generali DEI potestate, non implicatâ hac in re contradictione, infiniti supra finitum eminente perfectione, & creatorum ad increata insufficiente analogiâ ac comparatione, & similibus, qua in Intelligentiâ pluribus proponi deberent. V. S. 22. 23. Hic inprimis cum Reformatis agendum, qui cætera fidei puncta admittunt, sed in multipræsentia dissentiant, & ob hoc hæc materia post renatum Evangelium inprimis disceptata inter doctos fuerunt. 2. Non debere hæc disceptata pro articulis fidei aestimari; sed difficultatibus Philosophico-Theologicis ex occasione articulorum fidei motis, & in Scholis à doctis & Scholasticarum disceptationum gnarâ, inter doctos agitari, ventilari, ac disceptari, ac qua ad fidei Christiana explanationem, & variam contra contradicentes defensionem, multiplicem utilitatem præstare possint, utcumq; à simplice Christiano ignorari universa possint, in illisq; nihil ille constituere queat, sed fundamentalia tantum fidei puncta, ad substantiam fidei Christiana pertinentia, & ad salutem scitu necessaria, in simplicitate teneat, V. Tract. de Fide alicubi l. 2. S. 38. Adeoq; dissensus in hac materiâ non debet præcisè pro dissensu in articulo fidei haberi, sed in difficultate aliquâ Scholasticâ ex occasione articuli fidei in Scholis motâ, & disceptatâ, & in quâ inter doctos diversa sententia esse possint, utcumq; in ipso fidei articulo, quantum ad substantiam suam in simplicitate Christiana spectato, conveniant.*

Exercitatio Prima.

7

5. Sic Trinitatem Personarum in unâ essentiâ Scholasticè communiter consentiunt. Sed in varijs difficultatibus Scholasticis ex articulo de Trinitate occasione ortis, & motis, ac ad explicationem, defensionem, & plenioram ejus intelligentiam faciendis, dissentiunt, quales sunt de relationibus, processio- nibus, notionibus, personis, formali ratione suppositi, per- sonâ, æqualitate, ordine, prioritate, missione personarum, varijsq; loquendi in hac materiâ modis. Hic non semper om- nes eadem sentiunt. Punctum fidei in summâ simplicitate esse potest, cum Scholastica de eo quasita & disceptata in infinitâ varietate & difficultate consistere possint. Sic Tres esse, qui te- stimonium dant in cælo, Pater, Filius & Spirit. S. & hos Tres unum DEUM esse, I. Joh. 5. v. 7. Substantialis articulus fidei est, ab omni Christiano sciendus & recipiendus. Sed quæ ad ex- plicationem & defensionem ejus faciunt, à multis simplicibus ignorari possunt. Sic Christum sedere ad dextram DEI, id est, regnare, Interprete Apostolo, I. COR. 15. v. 25. punctum fidei est, & in Symbolo Apostolico expressum. An per substantialem huma- nitatis in his terris præsentiam id fiat, Scholastica determi- natio ejus ex Scripturis eruenda est, & in quâ varia difficultates oc- currere & moveri queant, ac consequenter diversa opiniones exi- stere. Conf. c. 1. §. 28. Potest Scriptura simpliciter credi; Etiam si nihil istorum à simplici Christiano sciatur aut comprehendatur. λόγων σκινδαλμὸς à fide refecare oportet, & ad simplicitatem Apostolicam eam reducere, quod & iustissimum, & conscientijs Christianis maximè consultum erit. Ut præclare ex Nostris multi suadent. V. D. Calixtum digressi: de arte novâ p. 461. seq. Rectissime hic iudiciosissimus ille Mentzerus in di- sput. I. contra Apologiam Ludovici Crocij t. 56. ait: Missis ejusmodi contentionibus Metaphysicis, (ut de definitione persona, formali ejus ratione, differentia à naturâ &c.) de qui- bus

bus ne quidem inter ipsos Philosophos convenire hætenus potuit, longe satius & tutius, imò fas & æquum est, & religioni convenientius & aptius, ipsisq; concientiis suavius, properare ad fontem divinæ revelationis, ex eoquè ostendere, DEUM non esse nisi unum, id quod Photinianus etiam concedit, &c. Ubi plura ad hanc rem lectu digna habet. Ut uberius in libris de simplicitate fidei Christianæ deducam. *Manebis verum illud Sapientis* : Difficulus æstimamus, quæ in terrâ sunt, & quæ in conspectu posita, cum labore invenimus. Quæ autem in cælis sunt, quis investigabit? Sap. 9. v. 16. Et illud Apostoli: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, 1. Cor. 13. v. 9. 3. Si in difficultatibus consensus hic per omnia constitui nequeat, non agrè qualemcunque dissensum ferendum esse, cum certum sit, in his & similibus intricacionibus semper aliquid dubij supermansurum, nec facile adeò liquidò hic quid constituendum fore, ut non probabiliter in oppositum aliquid reponi possit, nec qua reponantur, adeò semper infirma futura, ut mereantur contemni. Nec ingenia ad capiendum omnibus aequalia data esse, sed mirabili varietate, ut facies humanas, sic & ingenia à DEO discreta esse, & diversimodè res assequi, concipere, penetrare, sicq; non eadem de iisdem semper sentire aut judicare posse.

6. His ita præmissis, quia distincta hic cum Reformatis in quæstionem veniunt, ut de distinctis distinctè agamus, non confuse, distinctis propositionibus brevius in Tract. de Ess. alic. l. 4. §. 69. seq. adductis, rem totam ordine exhibebimus, propositiones nostras confirmabimus, ab exceptionibus dissentientium vindicabimus, & qua opponi in contrarium possunt, amovebimus. Agemus autem primò de possibili: post de facto. Et quia de corporeâ substantiâ potior difficultas est, ab ea inchoabimus, quid quæ multipræsentiæ divina potestas in eâ efficere possit. Hoc enim

Exercitatio Prima.

9

enim constituto in reliquis de spirituali substantiâ Reformatos equiores nos habituros confidimus.

7. Dico 1. Potest DEUS absolutâ potestate corpus aliquod in multis locis simul sistere, nec in eo vera ac realis est contradictio, consequenter nec corporis everfio. *In hoc cordo totius rei consistit. Quod si solidè contra Reformatos hoc confirmatum fuerit, in reliquis minus laboris residuum erit, & faciliores ad consentiendum eos habere poterimus.* Argumenta autem pro confirmandâ assertionem hâc depromam è sequentibus. 1. Ab hypothefibus ipsorum Reformatorum, *quas nobiscum communiter concedunt & tuentur.* 2. Perfpicuis quibusdam rationibus, partim *ex scripturâ*, partim *Naturâ deſumptis.* 3. Hypothefibus & testimonijs Reformatorum proprijs, *qua ipsi, vel nonnulli ex ipsis specialiter pro se tenent ac tuentur.* 4. Testimonijs Patrum & Scholasticorum. 5. Adumbrationibus & similibus quibusdam, *quibus ad non incredibile hoc habendum induci quis possit.*

8. Ex hypothefibus Reformatorum cum nobis communibus generaliter sic inferre liceat. Quicumq; in Mystici fieri credunt longè incredibiliora, & rationis iudicio magis contradictoria & impossibilia, illi induci possunt, ut credant, fieri posse in illis minùs incredibilia, & coràm ratione minùs impossibilia. *Conſequentia patet ex illo Logi-
corum; Si id inest & inesse creditur, quod magis incredibile est inesse, etiam id inerit & inesse credi potest, quod minùs incredibile est inesse. Si equum 5. Milliaria per diem currere credamus, quod minùs de equo credibile: Cur 10. decurrere posse non credatur, quod magis de eo credibile est? Si DEUM ex nihilo aliquid facere posse creditur, cur non substantias transmutare eum posse credatur, cum antecedens sit incredibilius? Si puerum Methaphysicam callere credamus, cur Grammaticam eum scire abnuamus, quam callere eum longè credibilius est?* Sed Re-

formati in mysticis fieri credunt longè incredibilia, ac hoc, corpus in duobus aut pluribus locis à DEO statui: My-
 sterium nempe Trinitatis personarum *in unâ numero essentiâ*,
 Creationis rerum *ex simpliciter nihilo*, Incarnationis & u-
 nionis personalis in Christo, Sessionis Christi hominis *ad dex-*
tram DEL. redactionis rerum in nihilum *saltem de possibili,*
quod DEO possibilis sit, æternitatis divinæ simul omnibus
 temporum differentijs *coexistentis*, & resurrectionis ejusdem
 numero corporis *in novissimo die, qua omnia incredibilia*
esse §. 10. seq. patebit. E. & *in mysticis minus incredibilia fie-*
ri posse induci possunt, ut credant, Inter qua hoc est, corpus mul-
 tipræsens à DEO fisti.

9. Excipitur ad hoc argumentum, consequentiam à
 majore ad minus Topicam & probabilem esse, non neces-
 sariam, nec certi quid inferri, & interdum falsam subesse pos-
 se. Sic datam homini à creatore rationem, majus, non statim
 varias brutorum dotes, ut latratum, mugitum, quæ mino-
 ra. *Post peccatum anima immortalitatem homini relictam, cor-*
poris non, qua minor. Deinde & antecedens falsum esse.
 Enumerata ista non esse magis incredibilia, ac multipræsenti-
 am, *nec implicare contradictionem, ut hanc, & subjei potestate*
divina, quod non contradictoria, ut utrinq; consentiatur. Ita
 Chamier To. 2. Panstr. l. 6. c. 10. §. 30. & alij. His quia
 magnam partem Tract. d. est. alic. §. 71. f. 4. *satisfactum est,*
 breviter hic dici potest, *Non argui hic à majore ad minus in res,*
quod in multis vacillare scimus: Sed à minus credibili, quod
verum assumitur, ad magis credibile, quod impossibile judicatur.
Quod longè diversum est. Quia Reformati puncta quæ-
 dam, rationis judicio absurdissima, nobiscum tenent & de-
 fendunt; Vt Trinitatem, Incarnationem, Vnionem perso-
 nalem, annihilationem, carnis resurrectionem, nec contra-
 dictionem.

Exercitatio Prima

11

ditionem, et si speciosè à ratione pictam, in illis agnoscunt: magis multipræsentiam corporis Deo possibilem agnoscere deberent, *nam nec in hac vera est contradictio*, §. 23. Et in eodem rerum genere manetur, mysticis ac potestati divinæ subjectis, *non finitis & cursu Natura*. Iam hic processus validissimus est, & ad exempla Chamieri prorsus impertinens. *Non n. ratio in homine minus credibile quid est, quod ei competere debeat, & dotes brutorum magis credibile quid: Sed contraria res se habet, & nostro arguendi modo prorsus hoc non respondet.* Exempla Chamieri à majore rei ad minus rei procedunt: Nostra à minus credibili ad magis credibile, & sic contrarius processus est. Posito etiam, probabilem saltem hanc consequentiam esse: in intricatis & abstrusis materijs satis est, probabilia afferre, ut bene observat Suarez, d. 18. Meta l. 3. §. 16. *Qualis & hæc de multipræsentia finiti est. Et enumerata puncta incredibilia, vel saltem aequè incredibilia esse, quàm multipræsentia corporis est*, §. 10. seq. patebit.

10. Iam Specialiter per singula membra probandum, Enumerata illa longè incredibilia videri, quàm corpus in pluribus spatijs præsens sibi. In Mysterio Trinitatis credi postulantur & à Reformatis nobiscum creduntur sequentia: Tres personas unius Numero & Individua essentia esse. Essentiam summo modo unam, ipsam unitatem, simplicitatem, Indivisibilitatem, in tres hypostases realissimè & oppositè à se diversas, communicari. Hypostases istas verissimè à se differre, oppositis relationibus sibi opponi, ut una alteri sit opposita, eoque altera nequeat esse altera, sed cum essentia realiter idem esse, ut in quavis personâ tota & totaliter sit essentia Divina, sed multiplicari tamen personas in Trinitate, Essentiam autem simplicissimè unam manere in summâ simplicitate. Quamvis personam totam essentiam amplecti, non partem ejus: Nec tamen ad multiplicationem personarum multiplicari

*plicari essentiam, sed eandem numero & individuum manere. Patrem generasse filium, qui totam eandem numero essentiam habeat, quam pater: Nec tamen filium generando generasse seipsum, Quamvis eadem utriusq. essentia sit. De personis oppositas relationes enuntiarı posse, qua de essentiã non possint, cum tamen realiter ipsa essentia sint. Patrem esse deum, filium esse, Spir. S. esse DEum: nec tamen tres esse DEos, sed unum numero. Patrem eandem habere essentiam numero, quã filius & Sp. S. sed in Patre generantem esse, Filio generatam, Spiritu S. spiritam. Ita tres diversissimos, imò oppositos modos habere, eandem tamen numero manere. Hęc omnia ratio sibi relicta, Verbo dei & cognitione Mysteriorum fidei non illustrata, ac ex proprio iudicans, pro absurdissimis, Contradictorijs, & inconsistentibus habebit, *Ut inter Coetera, missis Gentilium jntricationibus, Photinianorum hodiernorum scripta & argutationes evincunt, V. c. l. t. 72. Non tamen hoc curato idem à Reformatis creditur, & contra Photinianos defenditur, ut pluribus c. l. O. stensum.**

II. *Qua de rerum diversã ratione ulterius hic excipi solent, c. l. t. 73. sunt discussa. Hic breviter notandum erit. I. Diversitas rerum, de quibus infertur, probabilitatem arguendi in ipso argumento, si ea aliã legitima sit, tollere aut evertere non potest. Potest n. argumentum à minus credibili, quod conceditur, ad magis credibile, quod negatur, duci, etiamsi res ipsa diversissime sint. Si internum quid, & realiter cum essentiã idem, per mysteria fidei multiplicari creditur, essentiã non multiplicatã, nec admitti creditur Contradictio: Cur externum quid in re per potestatem divinam non multiplicari posse credatur, non multiplicatã re, nec implicatã Contradictione, sed hoc prorsus impossibile iudicetur, cum tamen prius longè rationi videatur incredibile, Et tamen à Reformatis nobiscum concedatur. Quod Deus infinitus, Corpus finitum, res, de quibus arguitur, earumq. habitudines.*

Exercitatio Prima.

12

habitudines, diversas quidem facti: Sed nostram arguendi vim in incredibilitate & credibilitate fundatam, non infringit. Manet n. major impossibilitas Rationis in priore, quàm posteriore. Et prius tamen possibile creditur. Cur posterius tale negatur? 2. Quantum ad infinitatem pertinet, etiam paritas in nostro casu est. Ut ibi essentia infinita, in quâ id evenire creditur, ut multiplicentur supposita, unicâ numero manente essentiâ: Sic hic potestas infinita, per quam multiplicantur loca, unico numero manente Corpore. Per vim finitam enim id non fieri conceditur, §. 3.

12. Alij excipiunt, Essentiam & personas Divinas non esse factibile quid, nec objecta potestatis divina circa factibilia occupata, sed simpliciter essentialia & Naturalia esse: Multiplicitatem autem Corporis, si possibilis, factibile quid esse. Ex Instantiâ & Comparationes sæpè à rebus toto genere diversis sumuntur. V. §. 37. Sic & ab eo, quod fieri & esse in divinis conceditur, ad aliud, quod in illis factibile esse assumitur, inferri poterit. Deinde, ne hic factibile rigidè dictum cum alio factibili & objecto potestatis divinæ confertur: Sed simpliciter argumentum à magis incredibili ducitur, quod Reformati & de facto in divinis ita se habere, adeoq; & esse posse citra contradictionis implicationem, assentiunt, ad minus incredibile, quod simpliciter fieri posse negant, & pro absolute impossibili habent: Ac ostenditur, ipsos magis absurda rationi pro possibilibus habere, & in minus absurdis credendis adeò rigidos se præbere. Quod contra potius agendum esset, & si Contradictiones urgenda essent, in illis potius urgenda essent, quæ magis ἀτοπα & absurda rationi videantur, quàm in illis, quæ minus talia. Coetera extra scopum nostrum sunt. V. c. I. §. 74.

13. Ab alijs excipitur, Tres personas in unâ essentiâ esse, clarissimè in sacris esse revelatum, 1. Ioh. 5. v. 7. Matth.

28. v. 19. *Eoꝛꝫ* contradictorium censi non debere: Sed Corpus in multis locis esse non ita revelatum, & totum adhuc controversum esse. Unde ab illo possibili ad hoc argui non posse. R. Nondum hic quaritur, quid defacto in aliquo Corpore sit, de quo S. 81. demum constituetur: Sed de possibili saltem, quid divinitus in ea esse possit. Iam si possibile est longe incredibilis in divinis, Cur non possibile sit credibilis? Deinde etiam aliquod Corpus in pluribus locis esse, in sacris satis clarè revelatum est, S. 81. Sed controversum fecerunt Reformati, quia Contradictorium esse anteceperunt, eoꝛꝫ omnia coetera potius egerunt, quam id de Corpore concederent. Eodem Modo Photiniani Tres personas ejusdem numero essentia esse, Contradictorium esse antè posuerunt, indeꝫ omnia egerunt potius, variasꝫ tenebras Scriptura locis obfuderunt, quam ut illud in sacris revelatum esse concederent. Qui jam Contradictorium aliquid esse præconcepit, eum caligare oportet etiam ad clarissimas revelationes, quibus qualemcunꝫ sensum potius inesse censebit, quam eum, cui Contradictionem subesse jam præconcepit. At in Christianismo & fidei rebus longè aliter procedendum, & à revelatione gratiæ inchoandum esset, eaꝫ; præassumptâ nostræ rationis contradictiones apparentes magis, quam solidas esse, censendum, ac de qualicunꝫ Conciliatione potius cogitandum esset, Quàm præsuppositâ Contradictione Vis lumini gratia inferenda, quovisꝫ modo illud subruendum esset, ne à nostrâ Contradictione dimoveremur. Sic Abraham agebat, cum effectum Corpus suam aspiceret. Rom. 4. v. 19. 20. Maria, cum se gravidam futuram audiret, & virum se non cognoscere sciret. Luc. 1. v. 38. Sic Apostolus agendum jubet, 2. Cor. 10. v. 4. 5. Et in primâ Coenâ illustre exemplum omnes Apostoli præbuerunt, quomodo fides Christiani verbo nitatur, suspensis aut rejectis omnibus rationis & Natura contrarietatibus. Matt. 26. Marc.

14. Luc. 22.

14. Luc. 22. *Ac si de Contradictionibus pingendis res sit, aequè plausibiliter eas in Trinitate colorabunt Photiniani, ac in Corpore multiprasente poterunt Reformati, V. §. 10. Nec tamen mouentur eo Reformati. Cur nos hoc moueremur? Veram autem Contradictionem in Corpore multiprasente inferri Nos negamus, & hypothesin tantum Adversariorum dicimus, V. §. 22. 23. Vltimò etiam regeri soles, Essentiam divinam esse quid commune, adeoq; tribus diversis hypostasibus substare posse. Sed Corpus esse individuum, ideo non in pluribus locis simul esse posse. Sed his jam c. 1. §. 74. occursum. In duobus locis esse Unitatem corporis Numericam non tollit, sed diversas saltem ubicationes in uno diuinitus ponit, in quo nulla vera est Contradictio, V. §. 53. 54.*

14. 11. *Mysterium Creationis rerum ex simpliciter nihilo & non ente incredibilius est, quàm Corporis in duobus locis simultanea à DEO collocatio. Et tamen illud nobiscum defendunt & credunt Reformati. Cur hoc penitus incredibile habent? Antecedens patet, quia ad mysterium Creationis credendum credere pertinet, Essentiam aliquid nancisci ex nihilo negatiuis & simpliciter non ente, tanquam termino à quo, unde Ens prodeat, & essentiam internum ac constitutum Entis Creati esse principium, per quod res esse incipiat, cum antea nihil simpliciter esset. Sic ex nihilo incipere fieri aliquid, cum antea nihil esset. Iam inter nihil & aliquid, Ens, & non ens, verum & non verum, infinica est distantia, quam suppleri ab aliquâ potestate posse, rationi ex suis principijs iudicanti incredibilius videbitur, ac Corpus binas locationes nancisci, ubi semper inter aliquid & aliquid manebit proportio, non ens cum nihilo in comparisonem veniet. Hac a. proportio rationi credibilior ac plausibilior, ac prior. Deinde loca multiplicari in Corpore, consequens saltem aliquod multiplicari est, non constitutum rei.*

rei. Est n. locus consequens saltem Corporum ex contiguitate aliorum circumjacentium in illis sumptum, ut tract. d. es. alic. §. 6. seq. s. 4. dictum. Ens a. ex non ente fieri ipsa constitutiva principia concernit. Sed consequentia rerum tolli, mutari, aut multiplicari in rebus divinitus posse, longè facilius perspicies ratio, quàm essentialia constitutiva rebus ex nihilo dari. Sic propria divinitus tolli & mutari posse, ratio videt. Sed essentialia principia tolli aut mutari, non videt, & reverà impossibile est. Et aliquid ex puro nihilo à DEO fieri Photiniani pro absurdo & impossibili habent, unde materiam rerum primam DEO coaternam & increatam statuere, non improbable ducunt. V. Molcorovium d. bapt. c. Smiglec. c. 3. p. 78. 79. & Refut. appendic. c. Smiglec. p. 30. Smalcium d. 7. c. Frantz. p. 415. Volkeliium l. 2. d. ver. Rel. c. 2. Nec Vorstius multum hic alienus est. V. appendi. con. Sladum §. 86. *Esti alibi aliter, ut tract. d. DEO, p. 37. 244. & in Confess. brevi §. 12. Et in appendice c. Slad. §. 78. 80. 81. Et ante illos Marcion id statuit. Pontan. in Catalog. hæretic. c. 33. Et Hermogenes, V. Tertullianum l. c. Hermogen. Quia ergò in mysteriis fidei ratio hoc credit, Esse rebus datum ex non esse: Cur adeò incredibile habeat, eum, qui ex non esse facit esse, etiam esse sine loco conservare, aut in duobus locis simul collocare posse. Plus n. est, ex simpliciter non ente Ens facere, quàm unum Ens in duobus externis circumstantibus, qualia loca sunt, simul constituere. Prius Deum posse Nobiscum fatentur Adversarij. Et de posteriori ergò ita rigidi esse non debebant. Qua hic reponi possunt, ex tr. d. es. alic. s. 4. §. 75. explicationem habent. Creatio est Dei ex non ente in ens substantialis mutatio: Sed multilocatio est nova ejusdem rei manentis ad diversa spatia eodem tempore divinitus facta adductio, & in illis constitutio. Corpus ergò manere potest, & novus modus in pluribus essendi, divinitus ipsi inferri.*

15. III. *Mysterium incarnationis longè incredibilis est, ac unum Corpus in duobus locis esse. Et tamen idem nobiscum propugnatur Reformati. Antecedens patet, nam in eo credendum, 1. Singularem aliquam humanitatem sine propria Subsistentiâ & personalitate esse. 2. Hominem integrum Individuum sine personâ humanâ esse, h. e. Naturam intellectualem sine intimo essentiali suo modo, personalitate, integram esse, & modum, ultimum et complementum dantem, ab eâ remotum esse. 3. Hominem in Naturâ tantum consistentem esse verum & completum hominem. 4. Eundem in infinitam ipsius immensâ Dei Subsistentiam trahi, ut pars personalis persona Dei composita fiat. 5. Infinitam Dei naturam cum humanâ Naturâ in unam personam concurrere. 6. Duas istas naturas unum compositum personale facere. 7. Compositum illud ex homine & DEO velut partibus personalibus constitui. 8. Hominem in istâ constitutione verissimè DEum, & DEum verissimè hominem esse, Deum incarnatum, & hominem desiccatum esse. Hæc omnia ratio sibi relicta, ex suis tantum principijs informata, verbo Dei & mysterijs fidei non illustrata, pro absurdissimis & impossibilibus habet, prout hoc dogma tanquam monstruosissimum, & ab omni sensu humano alienum, à Photinianis incessitur, Smalcio, Crellio, Ostorodo, Socino, alijsq; quos c. l. §. 76. allegavi. Nec unquam Aristoteli aut alij gentili ex Naturâ judicanti persuaseris, possibile hoc esse: Nec nos ex Naturâ possibilitatem rei satis pervidere possemus, nisi mysteria fidei tanquam vera, ante præsupposuissemus. At hæc omnia, non attentis rationis absurditatibus, nobiscum tenent & defendunt Reformati. Possent ergo & in multipresentiâ Corporis possibili DEO credendâ æquiores se exhibere. Plus n. distat Natura infinita Dei à finita hominis, quàm duplex locus à Corpore, ubi finitum & finitum adhuc conceditur.*

ratem & immensitatem esse dicas, per quam aliã Naturam simul recipere & terminare possit, Cum in corpore sit materialitas, finitas, mensuratio, ob quam ultra conmensuratum sibi spacium extendi non possit, nihil proficiet. Incredibilius n. inde mysterium fit. Si natura divina immensa, multò minus ratio cum finito unum Personale constituere posse dicet. Quòd si hoc divinitus fieri non est impossibile: Cur corpus unum ad duo loca simul adducere, divinitus impossibile censeatur? Plus immensum à mensurato, infinitum à finito, quàm duplex locus ab uno corpore distat. Plura c.l. vide.

16. IV. Mysterium Sessionis Christi ad dextram Dei incredibilius rationi est, quàm Corpus in duobus spatijs sisti. Et tamen credunt illud Reformati. E. & hoc credere possent. Antecedens patet, Quia in illo credendum, 1. Hominem aliquem super omnes Creaturas, etiam angelos, erectum. 2. Ad ipsum imperium & potentiam divinam evehi. 3. Dominio divina & per modum dextræ Dei, non humanæ, omnibus dominari, eaq; gubernare. Modus a. dextra Dei non est secundum substantiam absentis, qui dextra humana est, sed presentis. Sic n. dextra Dei in sacris describitur. V. c. l. t. 77. 4. Omnia posse efficacissimè in Coelo & in terrâ. 5. Administrare cum DEO omnia ei subiecta, ut nil sit, quod ei subiectum non sit, usq; in æternum, Hac omnia incredibilia Rationi non illustrata sunt, quàm Corpus in duobus spatijs esse. V. plura c. l. V. Mysterium annihilationis rerum incredibilius est, quàm multipræsentia Corporis. Hoc n. esse rei simpliciter in non Ens resolvit, quod Natura impossibile iudicat, & gentilibus pro impossibili habitum est, ut c. l. ostensum: Multipræsentia Esse corporis relinquit, & in duobus locis tantum divinitus adducit. At illud possibile DEO esse credunt Reformati, est de facto in annihilatione mundi in novissimo die quidam dubitent. Vbi tamen quidam Eorum omnino consentiunt, ut Beza in not. maj. Rom. 8.

v. 20. Tilenus par. 2. disp. 67. t. 37. Chaffanio l. 3. L. C. c. 22. n. 3. Polanus in Symph. Cath. c. 28. t. 3. alijq; . *E. & posterius non absolute DEO impossibile, habere debent.*

17. VI. Durationem aliquam omnibus temporum differentijs coexistere, nec tamen mutari vel fluere, sed eandem perpetuò manere, incredibilius rationi est, quàm unum Corpus in duobus locis sistere. *Tempora n. perpetuò fluunt & succedunt, differentia eorum non simul sunt, sed cum una est, altera non est. Vbi prateritum, non presens a. futurum est: ubi haec, non illud. Hic durationem aliquam identitate sui coexistere Contradictorium judicat Ratio, ut ex Photinianis Dec. 1. Miscell. d. 1. t. 42. ostensum. Loca a. manent, non fluunt. Sed de aternitate antecedens credunt Reformati, & contra Photinianos defendunt. E. & multipresentiā non absolute impossibilem habere debent. Qua hic exipiuntur, c. 1. §. 78. dissoluta sunt.* VII. Reproduci unum Corpus, & bis in diversis temporibus fieri, & tamen unum Numero manere, non duplex fieri, rationi absurdus & plus Contradictorium videtur, quàm unum Corpus duobus locis sisti. *Nam bis producti est binis actionibus produci: bina actiones duplicem terminum habent: Terminus hic est Corpus: Quomodo hic non duplex Corpus? Quod bis pingitur, scribitur, sculpsitur, duplex pictura, Scriptura, Sculptura est. Essentialiter corruptum esse, & novā actione, resurrectione, reproduci, duplex Numero importat. Discretis temporibus redire & existere, Corruptum esse & reverti, & unum idemq; Numero esse, Ratio merè Contradictoria judicat, ut ex Photinianis c. 1. §. 79. ostensum est. Sed tamen de Resurrectione mortuorum haec omnia credunt Reformati. Cur Corpus duobus locis sisti pro absolute impossibili habeant? Si hic Naturam, Contradictionem, eiusq; vim, & potentiam Dei restrictam ur-*

gere velimus, vix Resurrectio ejusdem Numero substantia consistet.
 Quæ hic obverti possunt, c. 1. discussa sunt.

18. Ita prima & potissima Classis argumentorum pro non impossibili Multipræsentiâ Corporis deducta fuerit, ac quam præcipuum robur in hac materiâ habere existimo. Ut mirum sit, cum in dictis materijs Contradictiones non curent, quare in nostro negotio adeò sollicitè eas quarant & urgeant, cum in istis, si non magis, æquè tamen plausibiliter Ratio eas fingere ac colorare possit, ac hoc. Et si ista non crederent aut defenderent, prout Photiniani plerumq; eorum negant, non mirarer, & hic mera Contradictoria eas collocare. Sed cum ista omnia fateantur, & de hoc adeò sollicitos se teneant, jure mirari habeo. Quæ de penetratione Corporum, & duorum in uno loco existentia, adduci solent, apud Reformatos locum non inveniunt, eorū in primâ classe proponi non debent, ubi ex utrinq; concessis arguere promissum est. V. §. 7. Quædam Tr. d. ess. alic. l. 4. t. 88. 89. sunt adducta. Sequatur Secunda classis à rationibus ex Scripturâ & Naturâ delumptis. Vbi 1. Sic argui potest. Quod DEUS de facto in aliquo Corpore aliquando præstitit, id eum præstare posse Nemini dubium esse potest. Factum n. præsupponit Veritatem potentia agentis. Sed in Christi Corpore DEUS aliquando præstitit, ut in Coelo & terrâ simul esset, cum Paulo in viâ appareret. Actor. 9. v. 4. 17. c. 22. v. 14. E. Deum id præstare posse extra dubium est. Quæ ad Minoris confirmationem adduci possunt, c. 1. §. 80. deducta sunt.

19. Varia ad hoc argumentum à dissentientibus exipiuntur.
 I. Coelum esse domicilium Christi ordinarium, quod ordinariè non deserat. Extraordinariè tamen in singulari revelatione ad tempus certi finis gratiâ deserere posse. Et sic in ista apparitione factum fuisse. R. Ad hæc satis responsum de ess. alic. l. 4. §. 81. Et ex Consideratore aliquo & Bezà inconsistentia ejus ostensa.

Exercitatio Prima.

21

ostensa. 2. Paulū Christū, sed in spiritu, non oculo Corporis, vel si hū, in Cælo & remotū vidisse, non in terrā & adstantem. Ita Ambrosius, Augustinus, alij. Cum quibus Chamier c. l. c. 9. R. 1. Ita vidit, ut Petrus & alij Apostoli. 1. Cor. 15. v. 8. c. 9. v. 1. Sed hi nec in spiritu, sed Corpore, nec in Cælo remotum, sed in terrā adstantem & propinquum viderunt: Et vocem etiam ex ore ejus sibi loquentis audivit, §. 80. c. l. 2. Posito, in spiritu, h. e. in spirituali e- vectione & exaltatione vidisse: Res tamen ipsa verissimè sub ista spirituali visione subsistit, & adstantem ac presentem loquentemq; sibi in vero ac reali corpore, non imagine aut merā phantasiā, vidit. Visio hæc rem visam in substantiā propriā realiter exhibuit, non merā imagine & specie ac representatione lusit. Argumen- tum enim confirmandi Paulum in fide Christianā inde sumitur. Quod Iesum ipsum viderit, qui ei apparuerit in viā, Act. 9. v. 17. Quod à nudā imagine & specie sumi non potuit. Tò in Spi- ritu ad modum videndi in Paulo, subjecto vidente, pertinet, non objectum & rem visam, Christum, q. is. spirituali saltem specie formatus apparuisset. Paulus spirituali modo abreptus & illu- minatus Christum realiter presentem vidit: Non Christus in spirituali & ideali specie saltem est visus. In quo Piscatorem consentientem habemus. V. §. 20.

20. 3. Illud, in viā, non locum, in quo vidit, sed certissimam circumstantiam, Vnitatem & singularitatem viæ notat, quā Paulus iter faciens vidit Christum, sed è sum- mo Cælo, velut loco, ut certissimè sibi revelatum esse nosceret Paulus, quod sibi acciderat, annotato loco & tempore, quo acci- disse. R. Vnius inclusio non est alterius exclusio. Notat il- lud circumstantiam loci, quo apparitio facta: & simul modi, quo facta, propinquè in terrā, non remotè in Cælo. Hoc cætera enumerata docent, & hoc ad Pauli confirmationem multum fa- ciebat. Locum sollicitè adducere opus non erat, cum apparitio nova

esset, & quo loca facta, probè Apostolo nota. Sed modum referre multum ad vim confirmandi Paulum intererat, ut sciret, non absentem, sed præsentem illum & propinquum Iesum se vidisse: Nec è Cælo remotissimo sonantē, sed in terrâ propinquum sibi & in luce adstantem audivisse, quem tūc persecutus, postea prædicare debebat, & annunciare ea, quæ ipse oculis suis vidisset. Act. 26. v. 16. 4. Si in terrâ corpus Christi, & à comitibus Pauli visum fuisset. *At nihil hi viderunt.* Act. 9. v. 7. R. Hoc verò non sequitur. *Gloriosa corpora non semper, ubi sunt, actu & ab omnibus videntur, sed & Cætera omnia paria esse oportet, ut videantur. Non enim sufficiens proportio inter oculum non glorificatum videntem, & Corpus glorificatum videndum, ut hoc ab illo perpetuò actus percipi cogatur. Sic Christus non visus Nazarethanis, nisi per medium eorum transiret,* Luc. 4. v. 30. Conf. Ioh. 8. v. 59. Luc. 24. v. 31. *Atinūs hoc de Christi corpore ad dextram DEi jam exaltato affirmandum. Consentientes hic quosdam ex ipsis Reformatis habemus, ut alibi dicturus sum. 5. Non vidit Christam Paulus, nam à luce exæcatus erat. Act. 9. v. 8. R. Postea hoc factum. In principio apparitionis omninò vidis.* Act. 22. v. 14. V. §. 18. *Nec omnis lux circumfulgens protinùs excecat. V. Luc. 2. v. 9. Cætera, qua Chamier excipit, ex allatis facilem habent explicationem. Et in totâ hac re nobiscum consentientem habemus Piscatorem in Schol. Germ. Act. 9. v. 7. Vbi Christum Paulo præsentem oculis corporis visum esse concedit, Et ex 1. Cor. 15. v. 8. ac Act. 22. v. 6. 14. confirmat. Alij & apparitionem Act. 23. v. 11. hic adducunt. Sed multum Controversa hic, & per visionem nocturnam geri potuisse, ut Act. 18. v. 9, absurdum non est.*

21. II. Deus verum & substantiale corpus Christi substantialiter præsens in Cœnâ sistit sub pane manducandum,

candum, verumq; sanguinem ejus sub vino hauriendum, ut ex institutione & verbis Cœna omnino consequitur, & consensuenter à Patribus creditum est & assertum. V. §. 30. E. ali- quod verum Corpus multis in locis præsens sibi divinitus, non est impossibile. Antecedens in Theologicis latius confirmandum. Egoq; alibi pluribus docebo. V. §. 81. III. Qui superabundan- ter facere potest supra, quàm petimus aut intelligimus, is & ea præstare poterit, quæ nobis Contradictionem viden- tur implicare, modò reverà non implicent, aut DEUM im- perfectionis arguant. Nam & ista inter ea, quæ supra, quàm intelligimus, sunt. At DEUS ita potest. Eph. 3. v. 20. Et corpus in duobus locis sibi, veram Contradictionem non implicare, §. 22. 23. videbimus. Ergò & corpus in duobus locis sistere poterit, utcumq; Contradictio aliqua in eo esse appareat. DEO n. omnia possibilis sunt. Matth. 10. v. 27. Nihil ei impossibile. Gen. 18. v. 14. Jerem. 32. v. 17. & 27. Zach. 8. v. 6. Luc. 1. v. 37. Secundùm operationem suam omnia sibi subijcere potest. Philip. 3. v. 22. Ejus infirmitas major nostrâ potestate est. 1. Cor. 1. v. 25. Sed nos per nostram potestatem species rerum in- terdùm multiplicamus, re ipsâ unicâ manente, ut in speculo fracto, V. t. 35. 36. E. Deus suâ potestate simile aliquid præstare poterit, & loca rerum multiplicare, salvâ unitate rerum loca- tarum.

22. IV. Qui est author & Creator Naturæ, is supra & contra etiam Naturam ejusq; inclinationem interdùm age- re potest. Vi enim Naturam fecit esse, cum nihil esset: Ita & aliò flectere, & aliter esse facere potest, cum volet. Ita aquis liquidis manentibus fluorem, motum Soli contra Naturam detrahebat. V. §. 25. l. 4. d. eff. alic. Conf. §. 69. Sed DEUS est author & Creator Naturæ. E. & contra Naturam interdùm agere potest. Et consequenter corpus in varijs ubi ponere, etsi ex naturâ suâ

ad

ad unum occupandum per se sit determinatum, eoque naturali sua
 abjetate circumscriptivâ inclinet. V. Quod veram & realem
 Contradictionem, h. e. veram rei ipsius everfionem in esse
 reiâ priori a. posteriori non involvit, & aliàs DEO non indig-
 num ac deficiens quid est, DEUM posse certum est. Et in hoc
 utrinq; consensus est, nec hoc Reformati negabunt. Et quod
 Contradictorium non est, id veri, entis, positivi, actualis, &
 intelligibilis rationem obtinere posse, certum est. Quod ens esse
 potest, in eam potentiam cadit, quæ Omnipotentia est, qua ad
 omnes res, in quibus entis & veri ratio est, valet, qualis est Dei
 potentia. Sed corpus divinitus in duobus locis fuit, veram
 Contradictionem nec à priori, nec à posteriori, involvit. Vel e-
 nim enim ex naturâ corporis hoc repugnaret, vel naturâ
 quantitatis in corpore, vel loci aut essendi in loco, vel ex
 naturâ potestatis id facientis. Plura enim hic dari non possunt.
 At ex nullo repugnat. Non ex naturâ corporis: Vel enim
 ex naturâ Vniversalis, vel singularis Corporis id sequeretur.
 Non Universalis: Locus enim & locationes Vniversalium natu-
 ram non ingrediuntur, ut nec conditiones temporis, concedente
 Crocio p. 1. Conv. Pruten: q. 8, p. 424. Et vel ex princi-
 pijs ejus internis, materiâ & formâ repugnaret: At hac nihil ad
 locum, nec locus ex ijs sequitur, ut §. 16. l. 4. d. est. alicu. osten-
 sum. Corpus est, quod materiâ & formâ constitutum est, sine
 respectu ad locum aut ullum externum quid: Vel ex attributis
 internis principia interna necessario comitantibus.

Auctarium.

Thefi 2. Arminianos negare Multipræsentiâ Corporis
 DEO possibilem esse, dictum est. Plenius ac distinctius istud ex
 Apologiâ ibi citatâ con: Censuram Leidensem c. 23. p. 257.
 Et Vedelio Rapsodoc. 10. p. 191. Et cap. 11. p. 213. patere
 potest. Qua loca hanc in rem videri queunt.


mmo


emis-
an se-


, vel
a non
n sub-
pro-
qvar-

¶

YMS.







Biblioteka Jagiellońska



stdr0019291

